



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

De Diogene Contra Popvlvm Nitente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

DE CATONE EX EODEM.

CLara tuæ æternum mortis tenet Vtica nomen,
 Quam tua conscivit dextera, magne Cato.
 Illic manavit generoso è vulnere maior
 Gloria, quam fuerit sanguinis vnda tui.
 Namque inuicta fodis rigido dum pectora ferro,
 Et constans animo nil dubitante cadis,
 Nempe doces, quanto melius sit morte decora
 Extingui, vita quam sine laude frui.

IN EVNDEM GUILIELMI ESTII
Theologi & Poëta doctiss. Epigramma.

Vel Cato dignus eras sæua qui morte perires,
 Tale nihil mores vel meruere tui,
 Si nece dignus eras, cur te laudare Poëta
 Virtutemque tuam tollere ad astra student?
 At si non meritus fueras vt morte perires,
 Infonem morti cur tua dextra dedit?
 Iustus & innocuus certè licet antè fuisses,
 Factus es è iusto sic moriendo nocens.

DE DIOGENE CONTRA
 POPVLVM NITENTE.

EXiret pleno populus quum forte theatro,
 Densaque compressum turba teneret iter,
 Conferros contra Cynicus contendere certat,
 Vrget & aduersus millia multa gradum:
 Conantem rident omnes ceu mentis inanem,
 Pergere conatur non minus ille tamen:
 Cur faciat rogitant, hæc dicta rogantibus infert:
 Ingenio quadrant scilicet ista meo:

Nimi-

Nimirum vt populo semper contrarius irem,
 Omne fuit studium propositumque mihi.
 Quicquid enim magno consensu amplectitur ille,
 Inuisum meritò debet habere sophos.

DE PRÆTORE, CALLIDITATE
rustici inducto, vt contra se sententiam ferret.

PRætoris fundo quum proxima rura teneret
 Rusticus, in medio vt non nisi fossa foret,
 Accidit illius fors taurus vt huius in arua
 Irrueret, nullo vim prohibente metu:
 Ipfius vtque ferox occideret antè iuuenam,
 Adueniens aliquis quàm dare posset opem.
 Ergo miser damno percussus rusticus isto,
 Consilium vafro pectore tale capit:
 Prætorem facti ignarum petit impiger, atque
 Ciuibus vt vidit reddere iura suis,
 Tempore quo voces vllas emittere nulli
 Fas erat, assensum ni prius ille daret:
 Heu bone Prætor, ait, fas ne est mihi dicere pauca?
 Cui Prætor, fas est, si modo pauca, refer.
 Quàm tenuis limes nostros disterminet agros,
 Fossaque vt hos dirimat non spatiosa, tenes:
 Hanc noster taurus transgressus forte, iuuenam
 Quod doleo, occidit Prætor amice tuam.
 Quam pœnam tauri dominum sit pendere iustum,
 Et quid constituent hic tua iura, doce.
 Cui Iudex: precium vaccæ, vicine, necesse est
 Soluere, sic leges, iuraque nostra volunt.
 Rusticus, vt rursum dicendi facta potestas,
 Erraui imprudens, optime Prætor, ait.

F

Quippe